



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

X. Confirmatio Decreti Definitorii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S.
Francisci de Observantia Recollectorum, pro electione Præfectarum, &
Priorissarum Monialium per Provinciam Germano-Belgicam, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

tutæ municis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

X.

Confirmatio Decreti Definitorii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum, pro electione Præfectarum, & Priorissarum Monialium per Provinciam Germano-Belgicam, & annexas.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Kellen Commissarius Generalis Provinciarum Germano-Belgicarum, & annexarum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis Vallisoleti novissimè celebrato, Definitorium Generale decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. Præcipit Definitorium Generale, quod juxta Constitutiones generales, & praxim Religionis Ministri Provinciales Nationis Germano-Belgicæ dent liberam electionem Præfectarum, Priorissarum, vel quocumque nomine nuncupatarum in omnibus Monialium Monasteriis, idque singulis trienniis, quod decretum Constitutionibus fel. record. Leonis X. Sixti V. & Urbani VIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, nec non Litteris recol. mem. Clementis Papæ IX. Prædecessoris pariter Nostri in simili forma Brevis die 20. Martii 1668. expeditis conforme est, eique insuper accessit decretum, seu mandatum Venerabilis fratris Nostri Francisci Episcopi Ostiensis S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, sub infra scripto tenore, videlicet.

§. 2. Attentis narratis prævia revocatione suppressoriarum alias à Nobis obtentæ, servari Constitutiones, & Statuta Ordinis, & Sacræ Congregationis Decreta, atque ad eorum præscriptum procedi ad electionem Abbatissæ, aliarumque Præfectarum etiam decernimus, & mandamus, in contrarium non obstantibus quibuscumque. In quorum &c. Datum Romæ in Palatio Cancellariæ Apostolicæ hac die 30. Aprilis 1671. F. Cardinalis Barberinus Protector, & infra Joannes Baptista de Palagio Auditor.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, ut præinserta Decreta in tota Natione exactius serventur, & inviolabiliter ab omnibus observentur, & ne ullæ postmodum contentiones oriri possint, sed Decreta ipsa in omnibus Monialium tam Clarissarum, Urbanissarum, & Colletanarum, quam quovis alio nomine nuncupatarum Monasteriis Nationis præfatæ exactissimè ad usum deducantur, prædictus Ludovicus Commissarius Generalis eadem Decreta Apostolicæ confirmationis Nostre patrocínio communiti, ac Ministris Provincialibus, & cunctis Monialibus præfatis, ut in omnibus dictæ Nationis Conventibus, seu Monasteriis Decretis huiusmodi se conforment, illaque executioni mandent sub pœnis arbitrio nostro, seu Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, &

Regularium præpositæ infligendis præcipi, utque illi soli, & non alii electionibus interfiant, qui de more, ac juxta usum, & praxim Nationis præfatæ interesse consueverunt, ne ullæ insolite postmodum novitates cum notabili turbatione regiminis introductæ, aut attentari possint, mandari, perpetuumque quibuscumque contradicentibus silentium imponi summopere desiderent.

§. 4. Nos ipsum Ludovicum Commissarium Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de memoratorum Cardinalium, qui dilectum filium Commissarium Curie Ordinis præfati audiverunt consilio, attentis narratis, enarrata Decreta Francisci Episcopi Cardinalis, & Protectoris ac Definitorii Generalis præfatorum, ut supra petitur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

§. 5. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Nationis, ac Provinciarum, & Monasteriorum, seu Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 7. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Novembris 1671. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Extensio Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Fratrum, ac Monialibus Excalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ad omnes ejusdem Ordinis Calceatorum, ubique etiam in futurum existentes in die festo S. Petri de Nolafco.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias Nos omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus verè penitentibus

Confirmatio
decretorum
à Sanctitate
Sua.

XI.

& con-